

scribere nequeant, cum nec substantiae, nec accidentia, essent: non substantiae, quia tales Angelus non producat; non Accidentia, quia neque qualitates, neque quantitates, neque relationes, neque actiones etc. dici, et tandem, quia neque τῆ φωνῆ, neque τῆ δέσῃ, significare, possent. Plura uideri possunt apud Dn. Fridem. Bechmann. Prof. Ienens. Disp. de Locutione Angelorum A. 1661 habita; quare illi examinandae diu non immorabimur; uerum potius, quid nobis de hac re uideatur, saluis tamen aliorum iudiciis, et auctoritatibus, statim subiungemus. Quodsi itaque rem attentius paulo spectamus, Spirituum Locutio nihil aliud esse uidetur, quam emissio, et protrusio, externaque efformatio, specierum intelligibilium, quae interiora mentis, et uoluntatis, referunt, ac praerentent. Equidem ipsi conceptus quoad entitatem, suam in mente manent, sed eorum species, ab infra deductae, Spirituum potentia extrinsecus efformantur. Ita enim Spirituum Loquelam formari opinor, ut ipsi, mentis quasi aditum aperturi, conceptuum simulacra, et species, aliis intelligibiles, quasi radios, emittant, uersusque alios motu, et actiuitate sua, protrudant. Hoc autem actu cessante, et species illas rursus cessare oportet: sicuti in omni Locutione, desinente actu loquendi, et interni sensus explanatio, significatioque, abrumptur, itemque, intellectio actus quiescente, actuales, inde dependentes, ideae exspirant

XI

Clarius rem explicare non possum, itaque uerto me ad Ἐπίλογον. Initio autem sententiam meam inde probo, quia illa naturam rei optime declarare uidetur. In quauis enim Loquela προφορικῶς τι datur, ut ore aperto uoces, mentis interpretes, ad alios proferantur. Haec suo modo etiam in Spirituali Locutione obseruare licet, si § praecedens conferatur. Deinde quoque haec sententia tot difficultatibus obnoxia non est, ac reliquae Id quod de singulis facillimo opere ostendi posset, si pagellarum angustia illud permitteret, aut necessitas requireret: nam hinc inde omnes confutatas reperiēs. Inprimis tamen notanda est opinio, qua statuitur, Angelum ita loqui, ut effectiue imprimat alteri, ad quem loquitur, species intelligibiles, quae intuitiue

B

actus